

Ernesti Romani imperii electoris et Alberti fratrum Saxonie ducum petitio continebat, quod licet in oppido Liptzk Merseburgensis diocesis, quod insigne et populosum est et in quo rerum ad humanam vitam necessariarum copia habetur, generale studium apostolica auctoritate ita institutum fuerit, ut in eo perpetuis futuris temporibus in theologia, utroque
 5 iure, medicina, philosophia et aliis liberalibus artibus ac omnium licitarum facultatum ad instar aliorum generalium studiorum legi et disputari possit, a principio tamen dicti studii per illius universitatis fundatores pro doctoribus in iure civili nulla stipendia ordinata vel assignata sunt, sed pro legentibus in artibus liberalibus certi tunc expressi redditus pro viginti magistris, quorum videlicet duodecim unum et maius, reliqui vero octo aliud et
 10 minus collegium facerent, ordinati fuere, et sicut eadem petitio subiungebat, si una ex quatuor partibus reddituum pro ipsis duodecim magistris in maiori collegio cum diminutione etiam quarte partis eorundem magistrorum post cessum vel decessum ipsorum pro legentibus in iure civili in dicto studio, qui moderno tempore ad hoc sufficerent assignarentur, hoc profecto ad decus et ornamentum eiusdem studii et reipublice cederet
 15 magnamque studentibus partium earundem commoditatem afferret ipsique duces ad augendum redditus predictos per eorum predecessores ordinatos et deputatos facilius inducerentur, quare pro parte ducum predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut super his oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque de premissis certam notitiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati discretioni
 20 vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel alter vestrum si et postquam vobis de eisdem premissis legitime constiterit, quod cedentibus vel decedentibus simul vel successive tribus ex ipsis duodecim magistris collegii maioris huiusmodi quarta pars reddituum magistrorum eiusdem maioris collegii, cuius verum valorem seu quantitatem presentibus haberi volumus pro expresso, pro legentibus in eodem iure civili de cetero
 25 concedatur et assignetur, eisque pro suis cedat stipendiis, et dictum collegium maius ad novem duntaxat magistros reducatur auctoritate apostolica statuere et ordinare curetis, non obstante primeva institutione predicta ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Rome apud sanctum Marcum anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo sexagesimo septimo non. martii, pontificatus nostri anno quarto.

30

R^a. p. L. Fabio.

Io. de Tartarinis.

143.

Der Vikar des Bischof's Thilo von Merseburg ersucht den Probst zu St. Thomas in Leipzig den Baccalaureus der Künste Lorenz von Freyestadt nach Merseburg vor Gericht zu citiren.

35

Hdschr.: Stadtbibliothek Leipzig Cod. mscpt. Rep. II, 10^a fol. 207.

1487 Apr. 10.

Reverendi in Christo patris et domini domini Thilonis episcopi Merseburgensis vicarius in spiritualibus ipsiusque curie officialis ac executor statutorum provincialium sacri concilii Magdurgensis per diocesim Merseburgensem ubilibet constitutus, venerabili virò domino preposito monasterii sancti Thome in Lipßg salutem in domino.

40